VOTA ET MOTIVA, OBLATA IN PROCESSV DOMINORVM DIPPVTATORVM REGNI ARAGONVM.

Contra Doctorem Dominicum Descartin Iudicem Enquestarum.

IN Processu & causa in Curia Domini Iustitię Aragonum habito & actitato, intitulato, Processus Admodum Illustrium Dominorũ Dipputatorum præsentis Aragonũ Regni, & quatuor Brachiorũ ipsius; super criminali, existente dicto processu & causa in deliberatione super diffinitiua sententia, tres domini Locumtenentes admodum Illustris Domini Don Martini Baptista de la Nuça militis Maiestatis Domini nostri Regis Consiliarij, ac Iustitiæ Aragonum fuerunt voti & opinionis, quod debet pronuntiari, & absolui Doctor Dominicus Escartin Iudex Enquestarum, princ. Did. Pilares, & Ia. Sanz Proc. á contentis in petitione criminali contra eum, pro parte Dipputatorũ præsentis Regni, prin. Io. Pueyo, & Hie. Garcia Proc. tam nominibus proprijs, quam nominibus supradictis, & sub qualitate Dipputatorum, & cuiuslibet illorũ oblata, neutram partium in expensis ex causa condemnando, cætera supplicata locum non habere Atten. cont. Duo ex dictis tribus dñis Locũtenẽtib⁹ fuerũt ex motiuis sequẽtibus. Ex eo maxime quoniam non constat de aliquo ex delictis, de quibus nominibus supra dictis, vel eorum altero acusatur, ad aliquam penam imponendam. Quod vt manifestum fiat per singula delicta quæ dicto accusato improperantur discurramus: Et quidem capitale & præcipuum crimen ab actoribus imponitur reo, quod decimo die mensis Februarij, anno millesimo sexcentesimo decimo octauo, dictus Doctor Dominicus Escartin vt Iudex Enquestarum citationẽ generalem concessit aduersus fere omnes Portarios, Supraiuntarios, & meros executores præsentis Regni, imposito eis præcepto, vt intra triduum ab hora intimationis numerandum coram ipso comparerent; responsuri cuidã petitioni pro parte Procuratoris Fiscalis contra ipsos oblatæ pro excessibus ac delictis in eadem expressis, idq; callidè ab eo factum fuisse, ac eo animo & intentione vt officiales in literis citatorijs nominati, & sic citati, hoc modo, & quęsito colore iustitiæ prouisiones, á supremis huius Regni tribunalibus expeditas exequi recusarẽt, vel earum iam ceptam executionẽ perficere ac terminare pertimescerent, & hac via dicti officiales impedirentur, & intimidarentur, ne liberé (vt decet) prouisiones á foris pri-

uilegiatas debite executioni deman darent; quod equidem in graue totius Regni damnum, ac perniciem, & euidentem leſſionem, & ſubuerſionem fororum contingeret, grauiſſimum profecto crimen equali pena dignum, ac ſeuerè puniendum ſi ab actoribus probaretur, in quo tamen defeciſſe cõperimus. Nam ſto quod actores præfati, tanquam Dipputati præſentis Regni de hoc conqueri poſſint, & ſint partes legitimæ ad accuſandum, minime tamen illam deprauatam ac doloſam mentem accuſati in proceſſu probarunt. Pro quo in primis aduertere oportet decretum illius citationis in ſe ſumptum omnibus alijs circunſtantijs (de quibus infra fit mentio) ſecluſis, licitum fore, & omni culpa ac dolo vacare; poteſt enim præfatus Iudex (vt eſt notiſſimum) inquirere omnes ſupradictos meros executores, de eorum delictis, ac exceſſibus cognoſcere, eoſdem abſoluendo, vel condemnando, iuxta cuiuſq; merita, concesſa ipſi in ijs pleniori manu, ac latiori poteſtate quam alijs Iudicibus Ordinarijs præſentis Regni circa punitionẽ delinquentium ac delictorum animaduerſionem concedatur. Si igitur dictus Iudex poteſt meros executores inquirere, & aduerſus eos inquirendo procedere, poterit etiam á fortiori ad eum effectum permiſſum citationem licite decernere. Citatio ergo ſupradicta in ſe ſumpta cũ ſit de genere permiſſorum omnem culpam, & dolum excludit. Nequè is argui poteſt, eo, quod omnes fere meri executores in ea nominantur, terminusq; adeo breuis ad comparendum illis præfinitur, nam de iure (cui etiam forus aſſiſtit) non ſolum particularis permittitur inquiſitio, ſed & generalis, tam reſpectu perſonarum, quam delictorum. Permiſſa vero generalis inquiſitio citationẽ generalem etiam admittit. Quod ſi cuilibet ordinario Iudici legibus ac foris adeo adſtricto id permittitur, cur Iudici fororum obſeruatione nõ ita adligato denegabimus? Vt ex dictæ citationis conceſſione non iuſta ac legibus conformis mens, ſed deprauata ac legibus aduerſa præſumatur? Si omnes meri executores delinquere poſſunt; ergo & inquiri, vel acuſari, & conſequenter citari, quod facilius in præſenti concedendũ eſt, cum & ſi paucisſimi fuerint, citati non omnes in literis citatorijs nominẽtur, tum etiam quia hoc non ſpontè ac proprio motu fuit à dicto Iudice Enqueſtarum prouiſum, ſed fiſco petente, quod vtiq; & ſi voluiſſet recuſare non potuiſſet, vt ex ijs conſtet non tantum licitum, & permiſſum feciſſe, ſed neceſſarium quoq;, ac ineuitabile. Qui autem facit non ſolum rem licitam, ſed quam ex legis præcepto facere tenetur, quam procul ſit à dolo, & culpa, & clamant iura & iuſto ſilentio teſtantur. Ex quibus vt etiam obiter ſit dictum colligere licet quam præciſſa ac vrgentia deſiderentur inditia, quæ ſupradicta nõ dicam euertere, ſed ellidere valeant in Iudicem: Accedat prædictis pro parte aliquarum Vniuerſitatum præſentis Regni, ſignanter pro parte Villæ de Caſpe, & Bolca, coram Excellentiſſimo Prorege, ac Illuſtriſſimo Gubernatore fuiſſe varias quærellas propoſitas aduerſus dictos meros executores pro illorum exceſſibus, continuis moleſtijs, ac indebitis vexationibus, quibus paſſim ac fere inceſſanter oprimebantur, & vltramodum debitum vexabantur: quibus auditis, vt tot damnis (ſatis in Regno notis) occurreretur, & congrua medella adhiberetur, fuit decretum & dicto Iudici Enqueſtarum iniunctum,

ctum, vt omnes supradictos officiales citaret, & pro dictis excessibus inquireret, fiscusquè in huius decreti executionem oblata petitione contra dictos officiales coram dicto Iudice, ab eodem citationem petijt, quam ipse ex debito officij, quod gerebat iusto superiorum præcepto obtemperans decreuit iustè, ac concessit: Executio autem iustissimi præcepti superioris, cui obedire tenebatur, quærellę Vniuersitatum, ac fisci instantia omnem doli, ac culpæ speciē, ac malę & simulatę mentis suspitionem excludunt: nec præfixio breuis termini contrarium suadere debet, cum asignatio huius vel maioris termini, non sit à foro, nec iure diffinita, sed Iudicis arbitrio relinquatur. Neq; etiam refragabitur si dixeris Notarios horum executorū non posse per forum inquiri, & per consequens, nec ad eum finem citari; ergo cum iam circa non permissa citatio versetur eam decernens culpa carere non videtur. Nam obex iste multis modis effunditur. Primo quod literæ expeditæ dicto decimo die Februarij Anno millesimo sexcentesimo decimo octauo ad meros tantum executores, non ad eorum Notarios dirigebantur, aliæ vero literæ de anno millesimo sexcentesimo decimo sexto, cum iam ab earū concessione vsq; tempus intentatæ præsentis accusationis annus, & tempus accusantibus officialium á foro præfinitum efluxerint attendendæ non sunt, etsi in earum concessione delictū aliquod reperiretur, de quo alias accusari & puniri posset. Secundo respondetur, non ita absolutum esse in Regno, quod dicti Notarij inquiri nequeant, immo si antiquis foristis credimus id permissum videtur, grauissimorumq; virorum testimonia ita testantur, ac sentiunt, & quandoq; sic iudicatum, quod satis sufficeret cum huius articuli decisio altiorem requirat indaginem, vt Iudex præfatus in bona fide constitutus, & á dolo & culpa alienus videatur. Tertio respondetur, dictos Notarios sępissime fuisse inquisitos, & inquisitio valebit si nulla ab eis proponatur exceptio declinatoria; ergo interim dum non declinauerint poterint eos citare, & inquirere. Citatio igitur tam prima quam secunda ex parte concedentis nihil continet illicitum, iniustum, aut foris dissonum, nec aliqua ex earum serie & thenore colligi potest suspicio, aut præsumptio dictæ deprauatæ mentis ex aduerso prætensæ contra dictum accusatum. Aliunde igitur & extrinsecus quærenda sunt argumenta ad eum de prędicto malo animo conuincendum, quem illi conuinci arbitrātur, eo quod ex præsentatione dictarum literarum dicti meri executores timidiores reddebantur, circa executionem primarum, & aliarum prouisionum, ita vt plena ac à foris in ijs desiderata libertate priuarentur, nam cum in dictis literis præcipiatur eis, vt intra terminum ibi præfixum compareant coram Iudice Enquestarum cuius iurisdictioni subsunt, cuiquè obedire, & obsequium præstare tenentur, iam inde per necesse ellici videtur, vt statim facta & intimata, citatione prædicta, vel non exequantur, vel ceptam executionem desferant, ne aliàs non comparentes in termino, à Iudice citante plectantur. Sed leue equidem & fragile est hoc argumentum; nam si illud procederet sequeretur, inde quod meri executores dum vacant executioni quarumcumq; prouisionum præsentis Curiæ, vel Regiæ Audientiæ, non possent ab aliquo Iudice citari, vt coram eo personaliter compa-

compareant, termino eis designato ad comparendum, quod an sit admittẽdum, & foralibus dispositionibus, ac receptissimæ praxi cõforme, cuiquè facile erit iudicare. Quid quod inconueniens illud (si tale nomen meretur) non causatur directo ex citatione, nec ex intentione eam concedentis, cum ab eo non sit expressum in citatione, quod citentur meri executores dum vacant executioni: sed illud extra omnem aleam rẽ hanc, constituere videtur, nam licet decreto citationis exprimeretur, quod meri executores citarẽtur, sto quod vacarent quibusuis executionibus, non tamen terminus in citatione præscriptus curreret, nec eos astringeret ad comparendum, nisi finita & peracta iam executione, nam cum dicti meri executores, secundũ forales dispositiones, necessario teneãtur vacare dictis executionibus, easq; ad debitum finem perducere, nec valeant partibus incõnsultis ab eis desistere, varijs in eos per foros si contrafecerint indictis pęnis, fit inde vt legitime & foraliter dicantur, & vere sint ipsi impediti interim, nec dicentur contumaces, si personaliter non compareant in termino citationis, qui legitime impeditum haud quaquam arctat, maxime cum sit tale impedimentum, quod ab eo euitari nequit, ex eo namq; quod isti executores legitime sunt requisiti pro executione aliqua facienda, iam ipsi præuenti cẽsentur à Iudice aquo emanauit prouisio, non minus quam si ab eodem captus, vel prius citatus foret, vt coram ipso personaliter cõpareret, quo casu & si ab altero pro eadem, vel alia causa in ius personaliter postea vocaretur certo termino sibi constituto, coram quo tanquam à prima citatione iam præuentus, illiusq; effectu legitime impeditus, comparere non tenebitur, nec ex non comparitione vti contumax mulctari, vel vt inobediens puniri posset. Quis ergo timor, metusve dictorum executorũ animos inuadit, vel inuadere potest, ex præsentatione dictæ citationis, si ei dum executioni vacant parere, nec comparere tenentur, timor sanè vanus, vel affectatus, & minime excusabilis. Quod si forte ob eam causam ab executione desistant, minime pęnas forales euitarent; argumentum ergo supra ex præsentatione literarum, & præfixione termini desumptum ad conuincendum dolum acusati, ex retardatione executionis dictarum prouisionum, & ex alijs iam dictis nihil concludet vere nec præsumptiue, & etiam fulciri potest ex eo, quoniam si ea fuisset acusati intentio, quam aduersarij contẽdunt, vtique media eligisset apta, & proportionabilia ad finem quem desiderabat, at citatio supradicta non est ad eum finem cõsequendum apta, nec ei proportionatur, quippe quod ex eius præsentatione effectus ille non consequitur, cum interim executioni vacant dicti executores tanquam à foro legitime impediti, & præuenti, termino citationis non ligentur. Nec officit quod nonnulli ex dictis executoribus ob earum literarum præsentationem, ceptam iam executionem non continuarunt, nam licet id in processu probatum foret, nihil Iudici acusato obesse deberet ex iam supradictis. Tum etiam quoniam inter omnes fere meros executores contrarium obseruabatur, liberè prouisiones sibi demandatas exequendo, earumq; executionem terminando, non obstante dicta literarum præsentatione, quia vt notissimum sciebãt ipsi, & pro comperto habebant, non teneri ad comparendum interim dũ

circa

circa executiones supradictas morabantur, nec ea de causa aliquod ipsis impedimentum irrogari profitebantur, & quod hæc erat communis intelligentia apud ipsos, vt ex testibus exaduersoproductis manifeste ellicitur. Ex quo non dubiè colligitur quã aliena fuerit á recto sensu, & sano iuditio vana cogitatio, & erronea imaginatio, aliquorum executorum contrarium arbitrantiũ, ac ob eam caussam, & forsam quæsito colore executionem iam ceptam deserentiũ, hæc namq; crassa, supina, ac intollerabilis ignorantia, vel potius affectata, (propriam forté commissam in similibus executionibus culpam agnoscentiũ, & debitam pro ea pœnam, & sui Iudicis cui rationem erant reddituri conspectum subterfugere volentiũ) non debet ipsi acusato nocere, non minus ac si ob malam intelligentiã, vel crassam fororum ignorantiã officialis destitisset ab executione, ob præsentationem sibi factam iurisfirmæ qua officiales inhibentur ne maiores sportulas quam á foro taxatas exigant, ignorans forté quæ sint istæ sportulæ, cum in firma non specificẽtur; hæc enim supina ignorantia in Iudicem reflecti non posset pro impedienda executione, cum debitum & licitum tantum finem is respexerit, vt ferax executorum audatia, & insatiabilis auaritia cohibeatur ac tẽperetur. Minus quoq; aduersus acusatum potest sumi argumentum, eò quod prædictæ literæ per vicinos oppidi de Caspe, & Bolea, ea intentione retinebantur, & meris executoribus illuc accedentibus præsentabantur, vt eos impedirent quominus aliquas prouisiones exequerentur inibi, cum enim accusatus eius intentionis non arguatur particeps, nec ab eo illis tradditæ fuerint literæ citatoriæ, nihil ei imputandum erit, & malus animus ac dolus petentis, vel exequentis in Iudicẽ ex debito officij prouidentem retorqueri non potest, vt dolus in eo arguatur ex facto alieno: maximè cum circa prædicta nulla vtilitas, vel comodum accusati nec veré nec pręsumptiuè probetur. Quo etiam modo subuertitur aliud inditium quod aduersarij deducunt, eo quod dictæ literæ repertę fuerũt in posse aliquarum Vniuersitatum, que ærę alieno maximopere præmebantur, & pro viribus optabant horũ executorum ad sua loca accessus impedire. Quid enim id ad iudicem? Maximé cum non ab ipso, nec eius mandato tradditæ sint dictæ literæ, nec incongrué dici potest locus ad citandum officiales qui passim per Regnum vagantur, si illuc literæ remittantur vbi frequentius accedere solent. Præterea minus fragile censemus inditiũ, quod nec primę nec secundę literę à fisco fuerunt reportatę, nec aliquis fuerit interrogatus etsi coram iudice compareret, nec aliqua cum effectu apareat facta inquisitio contra dictos executores, ex quo simulatè nõ vt inquirerẽtur, sed vt impedirentur, totum id factum fuisse arbitrantur. Nam reportatio literarum non Iudici, sed parti acusanti incumbit, & ea nõ facta, nec cõstito legitimè in processu, quod aliquis fuerit legitimé citatus, nec speciale delictum alicuius coram eo deductum, non tenebatur Iudex ad interrogationem procedere, maximè nullo id petente, nec etiam aliquo ex meris executoribus: & testibus ab acusantibus productis constat de causa propter quam supersesum fuit in prosecutione dictæ inquisitionis, vt sic nullum ex eo contra acusatum, & eius animum deprehendi possit considerabile inditiũ. Insuper in nihilo aduersatur, quod accusatus sciens

B propter

propter concessionem primæ citationis aliquos officiales timidiores reddi in executione prouisionum sibi mandatarum, secundam postmodum concesserit a qua abstinere debuerat, vel saltem ita concedere ne aliquis scrupulus, vel timor prædictus, dictis meris executoribus causaretur. Nam vt supra dicebamus superioris decretum, & fisci instantia pręcissè ipsum astringebant, vt minimè citationem posset denegare: Tum etiam quia vana, futilis, ac inexcusabilis erat causa illius timoris, ex crassissima & supina ignorantia, & culpa dictorum officialium proueniēs, cui ne etiam Iudex ipse supinus videretur, nec credere, nec adherere tenebatur. Et tandem quoniā de tali sciētia non constat legitimè in processu. Quare licet aliás ex ea legitimè probata aliqua præsumptio contra Iudicem accusatum ellici potuisset, non tamen casui nostro adaptari posset. Aliud præterea dicto accusato obijcitur, quod nunquam aliqua pro parte fisci fuit oblata petitio contra hos officiales licet in literis citatorijs id enarretur, fictè tamen cum rei veritas aliter se habeat. Pro quo expenditur quod Honofrius Diñeras Notarius dicti Iudicis Enquestarum tempore manifestationis sibi factæ non tradidit eam, sed postmodum in carcere existēs, vbi fuit ductus, quia nō satisfaciebat dictæ manifestationi, quam constat continuasse in processu dictæ inquisitionis, Nicolaum Cascarosa, & quod non est præsumendū (dicitur exaduerso) quod dictus Diñeras si verè oblata fuisset dicta petitio, tam negligens, & sui officij immemor fuisset, omittens illius continuationem per tot menses. Hæc tamen solum demonstrant negligentiam dicti Notarij in continuatione processus, non vero conuincunt, nec inducunt nullam fuisse oblatam petitionem, cum de hoc plenè & concludenter constet, ex depositione dictorum Diñeras, & Cascarosa testium ab aduersa partę productorū. Quid ergo remotissima, fragilia, & coniecturalia perquirimus argumenta ad inducendum delictum, & vera ab ipsis etiam actoribus producta & probata negligimus pro eo euitādo? Quod si ad euitandam negligentiam Notarij circa omissionem continuationis dictæ petitionis eius oblationem excludimus, cur ad vitandum maius delictum in ipso Notario, periurij scilicet, & falsitatis, oblationem petitionis non amplectemur? Et quare magis delictum in Iudice præsumemus, pro euitanda negligentia Notarij, quam negligentiam Notarij pro euitando delicto in ipso iudice? Præterquam quod constat, quod manu dicti Diñeras dicta petitio in suo bastardello reperitur conscripta, sub dicto die. Nec hæc robur amittent, eo quod in dicto bastardello præposterè reperiatur conscripta, hoc enim non est nouum actuarijs quibus sępissimè id cōtingere solet, quod & nos passim experimur in processibus, quod quidē ex errore, vel inaduertentia Notarij proueniens, acusato officere non debet, nec rei veritati de qua cōstat per dictos testes aduersantium. Opponitur etiam dicto acusato, quod in illius posse inuentæ fuerunt quamplures primæ prouisiones nondum executatæ, ex quarum detentione, vel earum ocupationem violentam, à posse officialium, vel impedimentum ne exequerentur resultare profitentur; sed huic obiectioni occurritur. Primo non constare quod aliquæ prouisiones non executatæ repertæ sint apud dictum acusatum, nam licet inuentæ sint multæ literæ execu-

executoriæ de per ſe, non ſutæ in aliquo proceſſu, nec in earum derſo facta aliqua adnotatione de executione. Verum tamen ex deductis in proceſſu conſtat, quod ſępè hæ literæ executoriæ, etſi iam fuerint executatæ, enantamenta tamen & diligentiæ non continuãtur, ſed vel in baſtardello, vel in folio volanti, vel in dorſo earum adnotãtur ſummatim, vt ex ijs inferamus non eſſe concludens argumentum aduerſæ partis, quod cum literæ executoriæ modo ſupradicto fuerint inuentæ, iam per neceſſé ſit dicendum non fuiſſe executioni tradditas: Quibus concinit quod teſtatur Notarius cuius ſunt hęc literę executorię qui ab aduerſo productus dicit, quod non recordatur, quod ex dictis literis aliqua non fuerit executata. Secundo reſpondetur ex deductis ab eiſdem acuſantibus conſtat, has executorias ad poſſe acuſati perueniſſe mediante compulſa, cui vt ſatisfaciant Notarij horum officialium ſubinuolucro, confuſsé, & ſaco incluſas traddiderunt, abſq; eo quod tempore traditionis earum, vel compulſe, animaduertiſſent aliquo modo dictum Iudicem, vel eius Nuntium, ibi extare aliquas primas prouiſiones nondum executatas, quo comperto Iudex ipſe haud dubiè eas omiſiſſet, cum cõſtet Notarijs petentibus proceſſus compulſatos, vt in eis ad vlteriora procederent, ſtatim dictas literas tradidiſſe. Quare ſi forte aliqua prima prouiſio ea via ad poſſe acuſati perueniſſet, id dolo malitiæ, vel culpæ Notarij compulſati tribuendum eſſet, non vero Iudicis qui compulſam conceſſit tantum de ſcripturis compulſari permiſſis, non vero de prohibitis, nec vnquam eſt dictum, nec auditum, quod Iudici compulſanti incumbat perquirere an in ſaco ſcripturarum ad eius poſſe ſic ducto, adſint aliquæ primæ prouiſiones nondum executatæ, eaq; de cauſa ſi à Notario compulſato, vel parte non ſit admonitus, de dolo ac culpa conuinci poſſe. Vlterius nõ obſtat quod acuſatus aſperé, & cum indignatione adlocutus eſt dictos executores, eo quod ad oppidum de Bolea accedebant; id enim vnicus tantum teſtis teſtatur, & is quidem non legitimus propter exceptiones in eum oppoſitas, & probatas: Nec tãdem eo quod aliquos ex dictis officialib⁹ rogabat, alios vero ex parte Maieſtatis domini noſtri Regis admonebat, ne ad ea loca peruenirent, mandatum præciſsè includitur, quo impedirentur dicti executores illuc accedere pro executionibus faciendis. Non enim conſtat de importunis precibus, nec minis, nec quod eas ſolitus ſit exequi, quinimo eo modo eos rogabat, vel ex parte prædictæ Maieſtatis domini noſtri Regis admonebat, quod totum contrarium ellicitur: teſtes enim aliqui ab aduerſo producti ſic teſtantur, *Que les rogaua, que eſcuſaſen quanto pudieſſen de yr a dichos lugares, que tratauan de concordia con ſus acrehedores, o que les tenian dada y entregada ſu hazienda*, alij, *que les aduertia de parte de ſu Mageſtad, que ſeria de ſu Real ſeruicio, que eſcuſaſen quanto pudieſſen yr a dichos lugares*, quæ pręces, vel admonitiones cum intra cancellos liciti, poſſibilis, ac honeſti contineantur, improbandæ non videntur, multoq; minus ſtimandæ, ad metus, vel impedimenti inductionem. Ex ijs igitur conſtat omnia inditia ſupra contra acuſatum ex aduerſo ponderata, ad conuincendum dolum, & eius deprauatam mentem circa conceſſionem dictarum literarum, (præterquam quod in ſe parum vrgent) ex ſupradictis ſubuerti, & ellidi protinus.

tinus. Alia vero inditia quę exaduerso perpenduntur sua sponte cadunt, & adeo leuia sunt, vt vlteriori non indigeant impugnatione. Superioribus aliud adijcitur delictum, diuersæ speciei per actores, tam nomine proprio quam sub qualitate Dipputatorum, iniuriæ scilicet ex verbis quæ scripta reperiuntur in quadam schedula, vel papiro quæ fuit inuentariata in posse dicti acusati, quæ offensam propriam, & Locumtenentiũ præsentis Curiæ continere arbitrantur. Sed hoc facili negocio dissoluitur, quoniam nulla dicto papiro iniuriosa verba conscripta videntur, qui nimo etsi ea iniuriosa forent, cum tamen secum tantum agens acusatus ea scripserit, nec in publicum emisserit, sed penes se retinuerit absquè eo quod alteri fuisset nota, iniuriarũ agi nequit, multoq; minus ex eo capite, quod quilibet admittatur, ad acusandum, eos qui iniuriauerint Locumtenentes huius Curię, nam non aliter pro verbalibus istis injurijs quilibet audiri potest, nisi in conspectu Locumtenentium proferantur. Absoluitur etiam dictus acusatus ab alijs delictis, pro parte Alphõsi Marcilla tantũ suo nomine proprio propositis, nam etsi constaret Petrum Viuas merum executorem, & Ioannem Ludouicum Gãmir, qui accesserunt ad locum de Piedratajada, vt inibi prouisionem quandam emanatam ad fauorem dicti Alphonsi Marcilla exequerentur, executionẽ ceptam non esse prosecutum ob præsentationem dictarum literarum, id eorum culpę, non Iudici imputandum esset, vt supra diximus. Sed vlterius & efficacissimè respõdetur, quod ipse Alphonsus Marcilla concludenter probauit, ex depositione dicti meri executoris, & eius Notarij, quos in testes produxit, quod nullo modo ob præsentationem dictarum literarum ceptam iam executionem in dicto loco de Piedratajada omisserunt, sed propter resistentiam sibi factam, & vt illius, Fisci Regij Aduocatum certum redderent, & ob alias causas in suis depositionibus expressas, & iuxta ordinem à Procuratore dicti Alphonsi ipsis præscriptum; non igitur philosophari oportet, nec á remotis, & coniecturalibus petenda causa dicti supersedimenti, cum ea realis, vera. & patens reperiatur, & ab acusante probetur, nisi dicamus, veritatem ab eodem acusante probatã, cedere coniecturis, ac præsumptionibus, ad inducendum delictũ pro Iudice puniẽdo. Actoribus igitur legitimè nõ probantibus reum apetitis iure optimo absoluendum censemus, & aliás atten. conten. Alius vero dicti Domini Iustitiæ Aragonum Locumtenens, ex dictis tribus fuit ex motiuis sequentibus tantum. Ex eo & alias absoluitur Iudex Enquestarum respectu Dipputatorum qui proprio nomine acusarunt, quia non constat de iniuria aliqua illis illata, & irrogata, nec de aliquo damno. Respectu vero Alphonsi de Marcilla prætendentis sibi damnum illatum fuisse, ex eo absoluitur, quia non constat literas citatorias à Iudice Enquestarũ concessas impedimento fuisse quo minus executores ad debitum finẽ executionem ad illius instantiam obtentam perducerent. Constat enim ex processu per depositionem Notarij, & Portarij executantes ex multiplici causa dictam executionem imperfectam reliquisse. Tum quia ex nonnullis indicijs resistentiam cui obsistere non poterant potuerunt suspicari. Tum quia Petri Gan Procuratoris ipsius Alphõsi ad cuius procuratoris requisitionem fuerunt literæ executoriæ præsentatę voluntate

Secũdum motiuum.

tate expressa habita prius notitia omnium quę gesta ab ipsis fuere in loco de Piedratajada imperfectam illam relinquerunt, quorum testiũ fides non parúi ducenda est, sunt enim producti ab ipsis acusatoribus, nec illę detrahitur respõsio ab illis facta tempore pręsentationis dictarum literarum, videlicet magna cum reuerentia dictas literas recepisse, seseq; pręstitisse obedientissimos, policitosq; fuisse se omnia in dictis literis cõtenta adimplere, quasi ex hac prudenti, imo necessaria obedientia inferendo, pręcisse illos spondidisse non obstantibus quibusuis literis, seu primis prouisionibus executandis, seu illarum executione incoata, imperfecta, & non consumata, se comparituros, intra triduum, iuxta thenorem dictarum literarum. Quod augetur quia factis sic adimpleuisse dignoscitur. Respondetur siquidem teneri necessario se obediẽtissimos prebere, quia à superiori, & suo Iudice citabantur. Negatur tamen non obstantibus prouisionibus executãdis, seu ceptis non finitis hoc fore præstandum, nam intelligenda est dicta respõsio iuxta terminos iuris & ciuili modo, expeditis nempe, & perfectis executionibus, in quibus erant pręocupati ante præsentationem dictarum literarum, quas perficere iuxta nostras forales dispositiones tenebantur, nec enim officialium responsiones debemus interpretare in delictum, nec illud inducitur comparitione subsecuta itra triduum à die præsentationis dictæ citationis, quia tum ex resistẽtia quam potuerunt suspicari, tum ex voluntate Procuratoris dicti Alphonsi expeditos se á dicta executione agnouerunt, & perconsequẽs obnoxios ad comparendum, & sic factis adimpleuerunt, quod tenebãtur virtute dicti præcepti, & citationis à suo superiori factæ. Et quid quæso ad extrinsecas probationes recurrimus, si ipse Portarius, & Notarius aperto ore fatentur se certos esse dictas literas non impedire exercitium sui officij in his quæ ante illarum pręsentationem erant requisiti? Ex eo autem absoluitur respectu acusationis à Dipputatis intentatę, quia non constitit de delictis contra eum propositis: acusatur enim concessisse literas citatorias, de quibus in processu ad finem impediendi prouisiones huius Consistorij, & Regię Audientię, seu earum executiones, quod si verum in processu constaret, graue, & atrox delictum existimaremus, & exemplari, & graui pęna puniendum delinquentem, cumq; de dicto delicto non constet, ideo absoluendum esse duximus. Quod non constiterit ad dictum finem cõcessas literas ab ipso Dominico Escartin accusato, patet in primis ex illarum rimatione, per quas liquidè apparet finem dictæ expeditionis puniendi officiales & personas quibus dirigebãtur dictæ literæ, ob excessus ab eis commissos, (quorum officialium saltem excessuum punitio per viã inquisitionis adipsum pertinet) fuisse. Si ergo finem, animum, & intentionem, in ipsis literis apertam intuemur, ex ipsis saltem aliam ellicere non possumus, extrinsecús itaq; quærendus est animus Iudicis prouidentis, vt & ipsi acusantes quærunt, in primis enim insectarunt animum ex pręparatorijs ante prouisionẽ, existimantes ad redimendas, imo ad impediendas executiones, inuentã fuisse comentitiam, & fictitiam illã inquisi-

inquiſitionem affirmantes, à quo enim figmento, & mendatio, & dolo, qui ſemper in eis adeſt, liberum, & immunem ipſum Iudicem Enqueſtarum reperimus, nulla namq; probatio datur in proceſſu in iſto præmeditato ſermone, ſeu potius figmēto, (caſu quo interuenerit) dictum Iudicem interueniſſe. A parte itaquè ante, ideſt ante conceſſionē, nullus tractatus, nullaqué ſcientia Iudicis adeſt, quod non modicum ſuæ innocientiæ præbet teſtimonium, imo in deciſſione huius cauſæ tanquam cardo, & fundamentum preoculis eſt habendum, prout agnoſcunt acuſantes, qui hūc animum, iam à parte ante, iam á parte poſt, iam ab actibus proprijs acuſati, iam ab alienis, omnē lapidem reuoluentes, vndiq; margaritam, & gemmā precioſam quærunt, quę omnia quantū vrgeant, quantumq; animū Iudicis rectè iudicantis poſſint mouere, illis propoſitis, liquæbit vnicuiq; intueri. Primus itaquè effectus qui cōſideratur eſt, per has literas voluiſſe ad vnum diem coadunare omnes officiales in hac ciuitate, & per hunc modum omnes executiones extra illam impedire, quod probant hoc argumunto, tenentur comparere intra triduum à die citationis, ergo omnes in vnum diem, ad præſentem ciuitatem conuocantur: hoc argumentum debile ſemper fuit viſſum (ne dicamus fallax) nam ex illo antecedenti nullatenus ſequitur conſequentia, valeret profecto ſi omnes vna die citarentur, quia triduum á die citationis computatur; ſi ergo hæc non eſt vna, nec vero ſimiliter potuiſſent citari vna die, cum ſemper ſint iſti executores peregrinantes per diuerſa Regni loca, ſequitur non in vnum diem voluiſse eos conuocare in præſenti Ciuitate. Et obiter libuit animaduertere omnes officiales dictas literas non comprehēdere. Alius effectus cōſideratus ab acuſantibus eſt, quia præſentatione harum literarum officiales, vel non incohabāt ſuas executiones, vel ab incohatis deſiſtebant, iſte namqué effectus Iudicem profecto non coinquinat. Tum quia non dimanat ab ipſis literis, quia illæ nec impediūt incohandas, nec incohatas perficere, iuxta forales noſtras diſpoſitiones: Si ergo aliquis timidus ex natura, vel forſam propria conſcientia oppreſſus, vel ignorantia, & errore ductus non exequebatur ſuas executorias, hoc imputare Iudici inhumanū ſatis videtur, ſuppoſito prout ſuponimus dictas literas non cōprehendere impeditos in executione ſui officij, dicto impedimento durante. Præterea ſi iſte totus proceſſus intueatur inueniemus proculdubiò vnum, aut item alterum exiſtimaſſe non obſtante quolibet impedimento comparēdum fore, alij vero officiales vt ex thenore proceſſus apparet, non obſtante pręſentatione dictarum literarum, incohabant executiones ſibi ad exequendum intimatas, & incohatas ad debitum finem perducere non recuſarunt; & communis intelligentia vt ex proceſſu conſtat hæc fuit. Præterea ſi effectus ab acuſantibus prætenſos operabantur, quæ requiſitiones à partibus reperiuntur, vt ſuas executiones non obſtantibus literis exequerentur? Quas conſultationes officiales in hac Curia interpoſuerunt? quis illorum Iudicē prouidentem percontatus fuit, an eſſet dictum ſuū præceptum adimplendum ad literam non obſtante

quod

quod eſſent præocupati in exercitio, ſeu officij? nec requiſitiones à partibus reperiuntur, nec conſultationes, nec percontationes ab officialibus proponũtur. Et alius effectus ſiue medium ad dictum animum perquirendum, nempè precibus oraſſe, vt quantum poſſibile eſſet ſe abſtinerent in executione literarum quas verſus Boleam, & Caſpe haberent officiales, hoc inditium in fauorem Iudicis retorquetur; ſi enim literæ executionũ erãt impeditiuæ, adquid quæſo præces, quid quod rogare: vt quantũ poſſibile eſſet ad dicta loca non accederent, rogabat vſq; ad aras tantum, & claue non errante. Progrediuntur vlterius, & dicunt Iudicem habuiſſe notitiam literas executionũ impeditiuas eſſe, & non amouiſſe impedimentum quod tenebatur, quia Iudex eſt, & tenetur & debet obiare ne officiales malè ſuis officijs vtantur, huic enim inditio ex ſuperioribus ſatisfactum eſt, quia vnum, aut item alterum cõſtat deceptum fuiſſe circa intelligentiam dictarum literarum. Præterea vt dictum eſt effectus literarũ non erat impedire dictas executiones; ergo Iudex non tenebatur, nec illas ſuſpẽdere, nec reuocare: Effectus nãq; iuris ſuæ prouiſionis debebat cogitare, non effectus facti à tertio errore ducto cauſatos, ſi hos conſiderare debemus, fere omnes prouiſiones iuſtitiæ eſſent ſuſpẽdendæ, imo & leges, cum vna cum prolatione illarum oriatur malitia, iuxta vulgatum prouerbium. Accedat & alterum inditiũ, nempe nullam fuiſſe particularem inquiſitionem ſubſequtam, nullus enim fuit interrogatus quod parui ducendum eſt, nam præterquam quod vnum, aut item alterum comparuiſſe conſtat, nullo particulari, ſeu ſpeciali delicto, ex Inquiſitione generali orto contra comparentes, non poterat ad interrogandum procedere, & perconſequens iuridicè ſuperſeſsit, donec aliquid particulare emergerit contra particulares. Proponitur alius effectus, quod dictas Villas quærentes, & deſiderantes euadere executiones, has literas tanquam clypeũ & ſcutum ad iſtum effectum in ſuo poſſe habere, quibus præſentatis exiſtimabant ſe liberos ab omni peſte eſſe, quid quæſo influit hoc in Iudice, quid quod ipſas Villas ſentientes ſe grauatas, & vltra vires opreſſas, cupientes euadere inmoderatas, & exceſſiuas expenſas, quas patiebantur, ad iſtum effectum, ſaluberrimum remedium fuit ab ipſis inuentum, executores enim videntes, & audientes tubam Iudicij particularis ſonãtem, & ſe tam citò rationem reddituros, degeſtis ab eis, certum eſt, quod immoderatas, nec exceſſiuas, nec indebitas expenſas exigerent, nec aliqua quæ contra forum eſſent facerent. Et vtinam ad dictum finẽ, & ad cohercendam omnem fraudem officialium, in omnibus Vniuerſitatibus ſimiles adeſſent literæ, omnes conquæruntur de his executoribus, & quamplurimæ iurisfirmæ ſunt conceſſæ his noſtris temporibus inhibentes, ne immoderatas, & inuſitatas, & contra forum expenſas exigant, & obitèr nimirum ſi officiales conquęrebantur, & nimirum ſi recuſabant ire ad dicta loca, quilibet enim conatur iudicium euadere, quamuis ſe inmunem inueniat, & non Portariũ. Vrget & aliud inditium, nempe tot literas executorias in poſſe dicti Iudicis Enqueſtarum fuiſſe inuentas

uentas, ex quibus nonnullas, non modicum inditium adest non fuisse executatas, respondetur siquidē Iudicem Enquestarum posse, & quotidie practicatur compulsas concedere, contra Notarios Portariorū, præcipiendo duci ad suum posse omnes processus coram dictis executoribus actitatos, vt ex illis quid malè & iniuridicè, & cōtra forum factum fuerit accipiat, vt ex depositione testium, imo ex ipsis met litteris compulsorijs apparet dictas compulsas concessisse, & ex dictis testibus constat, Notarios compulsatos sæpe sæpius litteras executatas, & non executatas, sine delectu & in acerbo (vt aiunt) tradere, & in specie de quibus vertitur in dubiū, an sint prouissiones executatæ, vel non, traditas fuisse ipsi virtute cōpulsæ, & ei satisfaciendo ex dictis testibus cōprobatur, nec illud quod existimauit accusans sententiam potuit mutare, nempe citationem cōtra Portarios emissam fuisse absquè petitione, constat enim ex testibus pro sua parte productis, illam oblatam fuisse, & virtute illius concessam citationem, quibus eliditur cōiectura falsitatis, quæ ex præposteratione in bastardello Notarij actitantis processum inspicitur. Nec potuit mouere ad condemnandum accusatum, litteras citatorias, etiā contra Notarios, emissas fuisse existimantes contra illos non posse inquirere, quia præterquam quod, nō dessunt qui affirmant posse contra hos Notarios actitantes processus inquirere. Illud certum est, contra hos, & contra omnes, exceptis illis de quibus specialis prohibitio facta est, posse inquirere illis non declinantibus, & sic contra illos habitualem ac actualem iurisdictionem illis non declinantibus, certum est habere. Aliæ autem coniecturæ, si quæ proponuntur, vna cum multis ex supradictis, vel non probantur integré, vel non sunt degestis intra annum, vel si ex eis aliquod particulare delictū possit cōsiderari nō esse partes legitimas ad accusandū de illo apparet, & aliàs atten. cont.

Alius vero dicti Domini Iustitiæ Aragonum Locumtenens fuit voti & opinionis, quod tenetur, & debet pronuntiari, & absoluere Doctorē Dominicum Escartin Iudicem Enquestarū in præsenti processu acusatum, a contentis in petitione contra eum oblata pro parte dictorum Dominorum Dipputatorum Regni, & vt tales ab obseruatione Iudicij, neutram partium in expensis condemnando, quoad vero petitionem ab eisdem nominibus proprijs oblatam, similiter absoluere dictū acusatum, dictos acusantes, & eorū quemlibet, in expensis, & damnis debité, & iuxta forum taxandis, & liquidandis condemnando, cætera supplicata locum non habere, attē. content. Ex eo & aliàs absoluitur dictus acusatus ab obseruatione Iudicij respectu petitionis contra eū oblatę per dictos Dominos Dipputatos, vt Dipputatos, quoniam nō sunt partes legitimæ, nisi in causis, & casibus á foro expressis, inter quos hic casus minimè reperitur, quod strictam habere interpretationem, quasi maximé odiosam à practicis nostri Regni sępissimé est declaratum, vt ab ea recedere non valeamus, quamuis quandoq; id dilatatum, vel ex pacientia, vel tollerantia videamus, quod sto quod ita sit ad alios casus etia n similes non est protrahendum. Nequé obstat Dominos Dipputatos partes legitimas

Tertium motiuum.

timas

timas eſſe vbicumquè de fractione libertatum Regni pertractatur, & cum in præſenti de tali citatione, aut conceſſione literarum tractetur, per quam ius libertatis Regni infringatur, conſequens eſt eos legitimè vti Regni procuratores potuiſſe acuſare. Reſpondetur namq; minorem propoſitionem falſam eſſe, neq; hanc eſſe libertatem de qua fori, & obſeruantię loquuntur, quãq; vulgo Regni libertatem appellamus, nam alias clariſſimè ſequeretur ex quocumq; contra foro partes legitimas itidem reputari; cum fori omnes ad libertatem, & fauorem Aragonenſium ędici cenſeantur, quod ſanè dicendum non eſt, cum potius omnia fieri debeant ad partis legitimę inſtantiam, & principaliter intereſsatę. Nec ſto quod litterę citatorię Iudicis acuſati ad executiones impediendas directò eſsẽt cõceſsę, & cõſtaret plures eſse per eas exequtiones impeditas, adhuc ad partis legitimę, & principaliter intereſſatę inſtãtiã agẽdũ erat, non ad inſtantiam dictorum Dipputatorum, quorum principaliter nõ intererat, quamuis ſecundarió, & inconſequentiam eiſdem intereſſe videatur Quod & idipſum ita intellectum vidimus, & practicatũ noſtris temporibus, nam cum Portarij Regij in eiſdem, & alijs locis Regni ſuis executionibus inſiſterent, á Comiſſarijs Regijs ſola epiſtola tranſmiſſa, eiſquè præſentata ab executione deſiſtere non velata facie, ſed clarè & expræſsè iuuebantur, & deſiſtebant, aut ad ſummum cum hac Curia conſulebant, & tamen numquam vidimus, neq; ob impedimentum, neque ob retardationem executionum audiuimus, Dominos Dipputatos de eiſdem quærelaſſe, aut eoſdem acuſare potuiſſe, tanquam aduerſus fractores libertatum Regni vt notiſſimũ eſt, ergo multò minus in noſtro caſu id facere potuiſſe aſſerendum erit; in quo non iuuebantur ab executione deſiſtere, nec talis mens Iudicis acuſati antecedenter probatur, ſed ſolum in caſu licito citabantur, vt ſic moniti cognoſcenteſq; flagellum pendere, ſuorum officiorum licentiam non excederent, ergo partes legitimæ non ſunt, nec pro talibus reputantur. Nequè iniuria prætenſa, & eiſdẽ nomine Dipputatorum illata, reſultans ex quadam papiro pęnes acuſatum inuentariata, eos partes legitimas facere potuit, quoniam nec de iniuria cõſtat, nequè de animo iniuriandi, vt ex eadem papiro ſi rectè intueatur inducitur, vt meritò acuſatus eorũ reſpectu ab obſeruatione iudicij abſoluendus ſit. Et ſuppoſito ſine veri præiuditio, quòd partes legitimę eſſent, adhuc ex abundanti reũ acuſatum abſoluendum eſſe diffinitiuè exiſtimamus, quoniam non cõſtat de aliquo delicto per eum comiſſo. Conſtat ſiquidem pluſquam certiſſimé conceſſionem literarum citatoriarũ de qua acuſatur iuridicam fore, riteq; ac rectè potuiſſe decerni per eundem, ita quod in abſtracto, & ea ſola de per ſe, alio non conſiderato, inſtante fiſcali debuiſſet neceſſariò decerni. Quo ſolo ſic ſe habente acuſatus abſoluendus videbatur; Nam pleraq; quæ in conſequentiam veniunt, quæq; ab acuſatoribus allegantur in conſideratione eſſe non debent, vt Iudici prouidenti noceant, cum id quod principaliter agitur, non quod in conſequentiam venit attẽdendum ſit. Dolus igitur, & culpa conceden

D tis

tis aliunde quærendus est,nec quilibet dolus sufficiens erit, sed is solum qui causam dederit concessioni,non vero qui ex post facto, citatione concessà inciderit in eadem, nam quod ex post facto,Vnuersitatibus literæ deseruirent,secundum eorum desiderium, & existimationem ad impediendam executionẽ literarum supræmorum tribunaliũ Iudici prouidenti, & in casu licito decernenti nocere non debet,nam aliàs ex facto alterius & sine culpa puniretur, nec quod eadem præsentatio literarum facta Portarijs executantibus, eos ab executione retardauerit, timidiores ve reddiderit,Iudici nociua debet existimari, si executantes timuerunt vbi timor non erat,aut trepidarunt, vbi non erat trepidandum.Pondus igitur totius acusationis, & negotij, non in concessione literarum consistit, sed in scientia, & cognitione Iudicis prouidentis easdem, qui cũ sciret eam citationem à fisco sibi decerni supplicari, ad impediendũ executiones literarum suppremorum tribunalium eam decreuit, & partibus ad prædictum effectum traddidit. Quòd quidem tam lõgè abest in proposito, vt potius nec scientiam Iudicis concedẽtis ad id directam in præsenti processu legitimè probari arbitremur, nec ab acusato Vniuersitatibus tradditas, nec per easdem literas, executiones fuisse impeditas fateamur,Et vt rem hanc ab origine repetamus illud in primis constanter meminisse opportebit præfatas literas citatorias Iudicis Enquestarum de sui natura non esse impeditiuas, nec posse impedire executiones, & prouisiones Regiæ Audientiæ, & huius Curiæ Domini Iustitię Aragonum, nec Portarios & Virgarios exequẽtes teneri eis obedire, prout plerosq; Portarios ab acusantibus productos id ita fateri expresissimè apparet. Neq; Regiæ iurisdictioni supremorum tribunalium ea iniuria inferenda est, vt in dubium reuocemus Iudicem Enquestarum qui solam habet limitatam iurisdictionẽ eas potuisse executiones impedire, quippè maximè á foris priuilegiatas, vt quanto magis in eis priuilegium consideremus, tantò minus eis nocere potuisse fateri cogamur. Ergo nec scientia, nec animus impediendi ex ea concessione colligẽdus est, ne dolum & animum impediendi colligamus, ex actibus qui nullatenus possunt talem effectum opperari,& multominus ad inducẽdum delictum de quo tractatur. Et quamuis duo aut tres adsint testes, ex quorum depositionibus colligi videatur,eos vel timore, vel trepidatione, ab executione destitisse ob præsentationem dictarum literarum,adsunt tamẽ plusquam duodecim ab eisdem acusantibus producti, asserentes suas executiones continuasse,non obstante dicta præsentatione, alios idem effecturos si casus occurreret,& sibi essent præsentatæ,quoniam sciebant eis impedimento esse non posse,ergo á parte rei constat, & ex processu resultat prædictas literas citatorias, de sui natura non esse impeditiuas: vt inde nec scientiam,nec dolum Iudicis eas concedentis præsumamus. Et vt eãdem rem strictius perstringamus, adhuc affirmare audemus, nullam effectiué fuisse impeditam exequtionem per easdem literas, nec id ex processu resultare,nequẽ obstant tres testes, de quibus supra proximè mentionem fecimus, qui si re-

si rectè contemplentur ad impedimentum effectiuè subsequtum nō concludunt, Valerius namq; Mallada vnus ex eis numero 31. super 24. articulo, attestatur sese iuisse ad Villam de Bolea cum Hieronymo Cortes de la Sierra eius Notario cum quadam executoria ad instantiam Doctoris Salazar, & ibi lectum sibi assignatum exequtasse, eumquè ad capletam traddidisse Didaco Diest, post nodumqué cū petijsset expensas sibi persolui, intimatę eidem fuerunt à Procuratore Vniuersitatis præfatæ literæ citatoriæ, & sic ab eo loco recessisse, cui consonat dictus Cortes de la Sierra eius Notarius; Ergo ex eius dicto verius apparet ipsum suam executionem perfecisse, secundum Portariorum consuetudinem, nec tunc habuisse aliquid amplius quid facere, nisi expensas, & spottulas postulare, quæ finita executione, & non antea ab obligatis possunt postulari; ergo non omnino non perfecit executionem, nec executioni literæ sibi præsentatæ fuerunt, sed petitioni expensarum, prout & Didacus Diest testis fatetur, quas tunc petere ab obligatis sibi licitum nō erat. Petrus insuper de Viuas Portarius testis 36. & Ioannes Ludouicus Gamir eius Notarius testis 33. quamuis fateantur in loco de Piedratajada officium exercentes executionem non omnino consumasse, cæterum clarè attestantur non ob præsentationem dictarum literarū id contigisse, sed quia non inuenerunt quid amplius executioni demandare, nec cui executionem cōmittere, ac ex eò, quod à Procuratore legitimo dicti D. Alphonsi de Marcilla acusantis desistere ab eadem iussi fuerant: Ergo non constat de effectiuo impedimento executionis propter presentationem literarum, neq; præfati testes ab acusantibus tanti stimandi sunt, cum nec impedimentum concludenter probēt, adsint quę alij quamplures testes qui eandem citationem sibi impedimento non fuisse attestātur. Hijs elegāter adijcitur de iure omnem citationem á Iudice legitimé decretam quantumuis pręcissam intimatum iustè impeditum, minimè arctare impedimento durante, nec eum contumacem efficere, nā aliàs & infirmi, & in carcere detenti, sine culpa sua contumaces reputarentur. Si igitur citationi ea est á natura insita clausula, clarum erit Portarios citatos suis officijs inhærentes, & suas executiones continuantes, quibus à foro priuilegium datum est in exequendo, quasi legitimé impeditos non teneri, nec debere citationi ante finitam executionem respondere: Ergo præfatæ literæ citatoriæ, nec a parte rei, nec ex mente concedentis, executiones poterant impedire. Et ad id ita intelligēdum fortius vrgemur, quod quamuis in pręsenti processu adsint tot interlocutores, & Sindici suis Vniuersitatibus ære alieno oppressis remedia postulantes, ad refrenandas excessiuas Portariorum vexationes, quibus traditæ fuerunt præfatæ literæ, clarissim. apparebit nunquā per manus acusati, neq; sciente eo traditas alicui fuisse, nec diligentissimam acusantium inuestigationem, ante & post acusationem factam, multis ad id secretò examinatis testibus, contra acusatum id, aut aliud simile demonstrare potuisse, quod non modicū acusato opitulari existimamus. Scientiam igitur expressam, & dolum quem

quem acusantes probare minimè potuerunt, colligere contendunt, ex præsumptionibus, & inditijs ex processu apparentibus, quasi quod in proposito tractetur de ocultis, in quibus easdem præsumptiones sufficere arbitrantur, quibus libenter consentirem si de probando delicto aliquo, subornatione, barateria, & similibus tractaretur, quæ sunt de genere prohibitorum, at vbi tractatur de acusando Iudicem de casu de sui natura licito, de concessione scilicet citationis, ad partis instātiam decretæ, in qua Iudicis dolum incidisse prætendunt, dolum aduersus Iudicē in quo nobilis iuris præsumptio exuberat, verè & realiter probandum esse arbitramur. Et sto, quod præsumptionibus, & inditijs id in proposito fieri posse concederemus, ea tamen vrgentissima, & legitimè contestata esse debere affirmamus, quod nullatenus in processu reperiri contendimus, cum ea quæ ex processu deducuntur nō per necesse concludant, nec contestata legitimè reperiantur. Prior igitur præsumptio aduersus acusatum desumitur, quod plusquā quadraginta Portarios citari mandauerit, termino trium dierum constituto ab hora citationis computando, ad comparendum; & quod ea citatio non fuit reportata, nequè inquisitus aliquis Portarius, quasi id omne ex præcedentibus, & subsequentibus simulationē continere videatur. Secunda ex eo quod apparere videatur, Iudicem acusatum sine petitione citationē decreuisse, nam cum ex post facto manifestata fuissent Notario Iudicis acusati omnia acta, ea petitio in eius posse reperta non fuit, & memoriale eius oblatæ in suo bastardello præpostera-tum reperiatur. Tertia colligi videtur ex eó quod in processu legitimè apparet Sindicos, ac Procuratores Villarum de Bolea, Caspe, Almudebar, & Piedratajada, intellexisse semper, eam citationem sibi decerni ad impediendum executiones Portariorum, quasi id ex mēte, & intentione recipientium, non vero re ipsa desumendum arbitrētur. Quarta deducitur, quòd cū Iudex acusatus, sub die decimo quinto Ianuarij, Anni millesimi sexcentesimi decimi sexti, priores literas concessisset sciens eas impedimento esse Portarijs, secundas nihilominus concessit sub die decimo Februarij, Anni millesimi sexcentesimi decimi octaui, idem in effectu continentes. Quinta desumitur ex eo, quod cum ex officio potuisset impedimentum remouere, & citationem reuocare, id non fecit, prout facere tenebatur. Sexta quod Portarijs executantibus in Villa de Bolea asperè loqutus fuerit, & quod alijs rogabat, vt sese quantum posent ab ijs executionibus abstinerent: Inde argumentum deducentes in Iudice id præcibus postulante prçceptum, & mādatum inducere per necesse. Septima & vltima, ex eo ellicitur quod plures repertæ fuerint primæ prouisiones non executatæ in domo acusati, vt inde facile sit intelligere, mentem, & animum eiusdem fuisse executiones impedire, & sese eisdē ex diametro opponere. Ex quibus præsumptionibus acusantes cuncta se impetrasse lçtantur, & ad condemnationem subsequendam magni faciunt. Sed profecto nisfallimur præsumptiones hæc, & inditia, nec simul iuncta, nec de perse potentia esse videntur ad condemnandum,

nandũ, nam vel non probantur concludẽter, sed testibus singularibus, quorum dicta de iure coniungi nequeunt in proposito, vel si aliqua probantur ad Iudicẽ acusatum non expectant, nec aduersus eum per necesse concludunt, vt condemnatio subsequatur. Namq; ea quę respicit multitudinem citatorum, & arctissimi temporis præfinitionem ad cõparendum, parum prodesse potest, cum possit Iudex Enquestarum generalem omnium subditorum delinquentium, vel non delinquentiũ inquisitionem & citationem publicare impunè, etiã diffamatione nõ præcedente, is enim mandatam à Domino Rege habere iurisdictionem, ad inquirendum non ambigitur, ergo potuit facere quidquid Dominus Rex facere potuisset in causa sibi demandata; at ex forali dispositione potest Dominus Rex facere de suis officialibus quod voluerit, nisi tantum in ijs quę à foro prohibetur: Ergo & acusatus potuit generalem citationem decernere, provt quandoq; Dominũ Regem fecisse demonstratur, & terminum & horam diffinire ad comparendum absq; lessione fororum, & obseruantiarum: Nec quod ea citatio non fuerit reportata, aut inquisitus aliquis citatus, aut interrogatus, simulationem aut figmentum inducere posse existimamus ad nocumentum acusati, cum á facto alieno Fiscalis denuntiantis, non vero á Iudice ipso pẽdere videatur. Quinimo constat alios non fuisse inquisitos, vel ex eo quia dominus Locũtenens generalis comisit eam generalem inquisitionem per veredas Dominis de Regio Consilio, cui sese acusatum opponere illicitum erat, vel quia Notarij Portariorum compulsis satisfacere renuebant, vt in quodam Sebastiano de Espes Notario Portariorum contingisse apparet: At vbi causam claram habemus, hanc quam acusantes culpam imputant omnino excusantem, non videmus quo pacto ex eodem inditio aliam coniecturam desumere valeamus, qua dolum, & delictum & maximé in iudice præsumamus. Neque obstat prædictum videlicet Notarium Enquestarum interrogationi manifestationis respondisse, se alias scripturas, & acta non habere, nam id ad Iudicem non spectat, nec desidia, aut negligentia Notarij ei culposa esse potuit, vt ob id condemnatio subsequatur: Neque obstat secunda coniectura, quod sine denuntiatione fuerit citatio decreta, quia tempore interrogationis Notarij non fuit penes eum reperta. Primó, quia sine ea petitione, & denuntiatione potuit decerni, quẽadmodúm & littera citationis criminalis sine ea decernitur. Secundo, quia constat in processu ex dictis, & depositionibus testiũ ab acusãtibus productorũ, ad partis instãtiã, & petitione præcedẽte fuisse decretã; indeq; cũ Notarius interrogatus ob non restitutionem eiusdem, ad carcerem duceretur, antequam recluderetur adinuenta petitio fuit, & eidem Notario tradita, manifestationi sibi factæ satisfecit: Neque similiter obstat præposteratio oblationis dictæ petitionis continuata in bastardello Notarij, post memoriale quodam tempore posterius, quoniam cum ea oblatio tempore manifestationis reperiatur scripta in eodem bastardello manu ipsius Notarij, non est quod ob eam causam adeo leuissimam, & in Iudice dolũ sine culpa, & in No-

tario falsitatem inducamus. Tertia itidem præsumptio, quod Sindici & Vniuersitates suæ necessati consulentes, & vexationibus ocurrere desiderantes, eas literas petijssent ad impeciendum executiones, & si credidissent eum effectum operari parum nocet acusato, nam præsumptio ad inducendum delictum in Iudice, non ex mente & intentione recipientium literas, sed ex re ipsa, & mente Iudicis desumenda est, alioquin ex quacumq; licita prouisione partibus vtentibus ea in alium finem, ex earum intentione Iudices acusari potuissent, quod nullatenus dicendum est. Et quod magis est si recté dicta Sindicorum petentium eas literas citatorias cõtemplemur, apparebit sanè magis principaliter fuisse postulatas ad reprimendas vexationes Portariorum, & excessiuas expensas eorundem, quam ad impediendas executiones, & creditoribus defraudandum, quibus iam antea se, & sua omnia libẽtissimè obtulerunt, & qualiter potuerunt suis creditoribus satisfecerunt. In quo illud sumoperè aduertendum est in tota hac acusatione, nec vnum adesse testem, qui fateatur eas literas citatorias recepisse per manus Iudicis Enquestarum, vel ad id nequè tacité, neq; expresè interuenisse: Ergo aduersus eum talem præsumptionem ad delictum præsumendũ inferre illegitimum censemus. Quarta quoq; & quinta presumptio non inferunt per necesse ad delictum in acusatum præsumendum, hoc est quod cum scijsset priores literas citatorias esse impedimento Portarijs; secundas itidem concessit idem impedimentum in se habentes. Neq; ex dictis & depositionibus Hieronymi de Oliban teste 10. super 43. & Hieronymi Español de VillaRiche teste 38. super 37. in quibus acusantes dictam præsumptionem fundare arbitrantur, id desumi posse existimamus, quod videlicet secundas literas concesserit sciendo priores impedimentum executionibus atulisse, cum Oliban iam antea deposuisset ad refrenandas Portariorũ excessiuas expensas literas impetrasse, non autem ad impediendũ earum executiones; nec sunt contestes, sed singulares, & Hieronymus Español de VillaRiche defectus patitur in processu, de quibus in contradictorio mentio fit, vt ei fides integra denegetur, & ad inducendum delictum præsumptio plenè, & integré probanda est. Indeq; nec obstabit potuisse acusatum ex officio prædictum tollere impedimentũ quale quale id fuisset. Respõdetur namq; id esse quod dubitatur an sciuerit eas literas impedimentum inferre, & sumus certi, eas ex se impedimento esse non posse, & vbi scijsset & potuisset, non tamẽ solet in talibus ex officio procedere, sed ad instantiam fisci, ergo non est quod ei imputetur, nec ob id Iudicem delinquisse inferendum. Sexta insuper coniectura, quod asperé locutus fuerat Portarijs, & quod eos rogabat ne ad locum de Bolea accederent, quasi inde præceptum inferẽtes, futilis & inannis est, nam præterquam quod ea solo vnico teste, idquè minus legitimo comprobatur, non inde Iudicem malè agere, nec puniẽdum affirmamus, cum & aliam causam habere potuerit ad ita faciendum, prout re vera habuit, & ex eodem teste nõ obscuré depromitur. Neque tandem vltima coniectura obest, quæ deducitur ex

eò,

eo, quod plures fuerunt repertæ primæ prouisiones penes dictum Iudicem acusatum, quasi quod indè inditium deducatur euidens, animum eiusdem, & intentionem esse executiones impedire, quod quam sit remotum facile est considerare: Primo quoniam non constat inter scripturas inuentariatas penes acusatum primas prouisiones non executatas reperiri. Secundo sto, quod reperirentur apparent compulsæ Notarijs Portariorum ab acusato legitimæ factæ, quibus non primæ prouisiones non executatæ, sed acta & instrumenta testificata compulsabantur, & quod inter ea aliquæ primæ prouisiones non executatæ inuoluerentur, & reperirentur, ad Iudicem acusatum compulsantem non pertinet, sed ad Notarium compulsatum, qui tenebatur Iudici animaduertere in ea restitutione, & satisfactione compulsæ, priorē prouisionem contineri nondum executioni tradditam, aliás Iudex ex culpa alterius, & sine facto suo teneretur. Tertio & vltimo quoniam apparet causa in processu, ob quā Notarij Portariorum compulsati, ita confusé, & sub inuolucro suarum scripturarū compulsis satisfaciunt, quę sanè magis ad excusandum acusatum, quam ad condemnandū acomodatur. Cum igitur neque ex supradictis coniecturis, neque ex processu appareat de effectiuo aliquo impedimento executionum, neque de scientia Iudicis scientis, Fiscalē literas præfatas impetrasse ad impediendum, nec quod ipse ea mente eas decreuerit, nec quod ipse eas Vniuersitatibus tradiderit, consequens est necessarium absolutionē esse subsequendam, absq; eò quod ad alias exceptiones præscriptionis, & similes ab acusato allegatas, & non omnino contemnendas recurramus. Absoluitur insuper acusatus à contentis in petitione pro parte Dipputatorum nomine suo proprio acusantium oblata, & condemnantur in expensis, quoniam cum acusent nomine proprio, & particulari, & nullum ostenderint interesse propriū, & peculiare, aut damnum aliquod ex concessione dictarum literarum, & præsentatione earundem, tanquam temerè litigātes, in expensis condemnandos esse arbitramur: Neque obstat eosdem tanquam singulares huius Regni acusare potuisse dictum Iudicem Enquestarum, ex eò quia inter scripturas inuentariatas penes eum, reperta fuit papirus, siue schedula in qua iniuriasse verbis contendunt Iudices huius tribunalis, opitulante foro *de los que injuriaren alos officiales,* quo mediante quilibet de populo ad acusandum pars legitima reputatur Nam præterquam quod certum videtur ex ea scriptura, & schedula nullam Iudicibus, nec alijs inferri iniuriam, quippé qui ea inter priuatos parietes retenta fuerit, neque ad actus exteriores redacta, nec scripta fuerit, animo iniuriandi, sed ad sui officij exonerationē, si quando eiusdem rationē reddere compelleretur. Attamen stó, quod iniuria resultasset ex ea, acusare minimé potuerunt. Quoniam ad hoc vt quilibet pars legitima censeatur ex eo foro necessario ac claris verbis requiritur in eodē, vt iniuria in præsentia Iudicis proferatur, quod in proposito minimè intercessisse apparet. Ob idq; meritò tanquam temere litigantes in expensis condemnandos esse existimamus. Absoluitur etiam respectu acusationis

factę

factæ ad instantiam don Alphonsi de Marcilla, condemnaturq; acusans in expensis, quoniam licet pro priũ interesse demonstrauerit, non tamen damnum aliquod considerabile ostendidit, neq; ob eam præsentationem literarum sui Censualis executionem impeditam fuisse probauit: imò manifestè apparet in processu, ex dictis, & depositionibus testium per ipsum acusantem productorum, ex præsentatione prædictarum literarum sibi facta, in loco de Piedratajada minimè fuisse impeditã executionem ad finem perducere, sed ex eò quod, nec quid amplius exequi, nec cui executionem comittere adinuenerunt, & quia á Procuratore legitimo eiusdẽ don Alphonsi fuerunt iussi, vt ab ea desisterent, eosdemq; testes Portarium videlicet, & Notarium nõ semel id ipsum interrogatos respondisse eidem don Alphonso ante ceptam acusationem; ergo non potest quasi sine actione agens á condemnatione expensarum excusari. Nequè obstat præfatum Portarium tempore præsentationis dictarum literarum sibi factæ in loco de Piedratajada respondisse se esse præsto, & paratum literis obedire, nam non inde sequitur eundem statim ob id destitisse ab executione incohata, sed vrbanè tantum, & vt decebat respondisse constat. Vnde cum nec damnum, nec interesse demonstret, imo appareat eundem sciuisse non destitisse Portarium ob præsentationem prædictam, sed ex facto, & voluntate Procuratoris dicti dõ Alphonsi, fit inde in expensis omnino esse condemnandum. Neq; tandem obstat ex sola expeditione literarum stõ quod desaforata extitisset potuisse dictum don Alphonsum acusare, quasi quod ex eo solũ eidem molestia & damnum potuissent inferri, nam & molestia & potentia nocendi, si non sequatur parti damnum aliquod legitimum, & considerabile in cõsideratione est, & acusatus etiam ex contra foro absoluendus venit. Vnde cum dictus don Alphonsus id sciuerit, & nihilo minus etiam requisitus ab acusato in processu, vt ab acusatione desisteret, vsq; ad sententiam lite improba perseuerauerit, in consequẽtiam necessariam, tanquam temere litigans in expensis & damnis debite, & iuxta forum condemnandus est. Ex quibus & alijs dictum Iudicem Enquestarum absoluendum fore existimamus, & aliàs attent. cont. Alius verò dicti Dñi Iustitiæ Aragonum Locumtenens fuit voti & opinionis quòd debet pronuntiari, & respectu omnium Dipputatorum Regni in petitione nominatorum in ea qualitate Dipputatorum accusantium, & respectu Alphonsi Muñoz de Marcilla nomine etiam suo proprio accusantis, princ. Io. Pueyo, & Hiero. Garcia de Arista Proc. condemnari Doctorem Dominicum Escartin Iudicem Enquestarum præsentis Regni in præsenti processu accusatum, princ. Dida. Pilares, & P. Murillo Proc. ad suspensionem offitij Iudicis Enquestarum præsentis Regni per tempus quinq; annorum, & ad exilium á toto præsenti Aragonum Regno per tempus vnius anni, cum cominatione, quód si prędictum fregerit exilium, sit exiliatus á toto prædicto Regno, per tempus duorum annorum, & in expensis & damnis, debitè & iuxta forum, taxandis & liquidandis. Et respectu verò cæterorũ Dipputatorum nominibus suis pro prijs

Quartum motiuum.

prijs accusantium absolui dictum Doctorem Dominicum Escartin, à contentis in petitione contra eum oblata neutram partem ex causa in expensis cōdemnando: Cætera supplicata locum non habere, atten. conten. Ex eo præsertim condemnatur Doctor Dominicus Escartin, quoniam constat de delictis, de quibus accusatur, saltem ad prædictam pœnam imponendam, apparet siquidem ex processu dictum Doctorem Dominicum Escartin, sub die decimo mensis Februarij anni millesimi sexcentesimi decimi octaui, concessisse in qualitate Iudicis Enquestarū citationem quandam criminalem, qua citari iussit omnes propè offitiales, meros executores, supraiuntarios, & eorum Locumtenētes, Portarios Regiæ Audientiæ, aliosq; Virgarios extraordinarios huius Curiæ Domini Iustitiæ Aragonum, nempé quadraginta & vnum officiales præcepto in litteris citationis constituto, vt intra spatium trium dierum, ab hora intimationis litterarum computandorum comparerent personaliter coram eo, & in suo Consistorio, vt responderent petitioni criminali ad instātiam Regis Fisci contra illos oblatæ, & vt facerent alia, quæ á dicto Iudice Enquestarum eis essent iniuncta, in progressu dicti processus inquisitionis; aliás si personaliter intra dictum tempus non comparerent, in contumatiā aduersus illos procederetur. Colligitur autē ex multis in processu deductis, & probatis, & ex varijs verosimilibus cō iecturis, citationem illam præfatū Doctorem Dominicum Escartin Iudicem Enquestarum, tali animo, intentione, & fine concessisse, & ad hunc effectum, nempe vt impediretur eo modo, ea quæ ratione executio prouissionum concessarum in supremis tribunalibus Regni, Regia scilicet Audientia, & præsenti Curia Domini Iustitiæ Aragonum, circa exactionem, & recuperationē pensionum censualium, aliarum vè quantitatum, in vim instrumentorum habentium de foro priuilegiatam executionem, aut aliàs debitarum, & sic in perniciem Aragonensium, & personarum in Regno hoc degētium, & commorantium, ad quarum commodum, & vtilitatem prædictæ litteræ, & prouissiones obtentæ, concessæ, & expeditæ essent. Id quod apertissimè cædit in vehemētem lessionem fororum, & libertatum Regni, ex qua re delictū ingens oriri censémus. Infertur enim quidam terror, & considerabilis, ac probabilis metus prædictis meris executoribus; ex præsentatione dictarum litterarum citationis à Doctore Dominico Escartin concessarum, si obedientiam, & obsequium non præstarēt dictis litteris, & cum effectu non adimplerent contenta in earum thenore, & propterea fit inde, necesseq; est, vt careant præfati offitiales, & meri executores plena libertate á foris desiderata, in exequendis prouissionibus, litteris, & mandatis præsentis Curiæ, & Regiæ Audientiæ, & vt, vel minime accedant ob metum illis illatum, executioni illas prouissiones demandare, vel si receperint, à predicta executione desistāt, & cessent, nec vlterius progrediantur, ob præceptum eis factum à Iudice Enquestarum comparendi, intra spatium temporis adeo breue, & hac ratione adinuenta esset via qua maximoperè lederetur, immo in multis euaquaretur iurisdictio

F Regia,

Regia, quam exercent ista duo suprema tribunalia, Regię Audientię, & pręsentis Curię, & cum damno adeo magno Aragonēsium, prout cum effectu re ipsa redditos fuisse non parum timidos, & tales extitisse plures ex pędictis meris executoribus ex processu clarè comprehenditur, ob eamq; causam renuebant accedere ad Villas, seu Oppida, quę guarnita erant, habentia in suo posse pędictas Iudicis Enquestarū literas. Quinimò quod plus est in locis de Bolea & Caspe, ob pręsentationes dictarum litterarum officialibus, meris executoribus factas, vel ob timorem quod eis pręsentatio, & intimatio, dictarum litterarum fieret, non fuerunt aussi exequi, vel plené, & omnimodè executioni demandare prouissiones, quas eis partes qui illas impetrauerant tradiderunt; ad finem & effectum, vt eas exequerentur, & illud idē accidit in Loco, seu Oppido de Piedratajada, etenim cum accessisset quidam merus executor cum suo Notario ad pędictum Locum de Piedratajada, vt exequeretur literas quasdā, ad instantiam Alphōsi Muñoz de Marcilla, in vim pensionum Censualis impetratas, quarum quantitas accedebat vsque ad quatuor mille solidos Iaccenses, extitit facta intimatio dictarum literarum citationis Iudicis Enquestarū, & cessauit ex ea causa re vera executio, in vim pensionum censualis, & prouisionis ab hac Curia factę, quoniam pręfatus merus executor literis prædicti Iudicis inquisitionis obsequia præstitit, verbis, & factis, & sic non prosequtus fuit illam executionem, sed ab illius progressu se abstinuit, & in ciuitatem Cæsaraugustæ reuersus comparuit, coram Iudice Enquestarum in complementum præcepti ab eo facti. Non obstant depositiones Portarij Petri Viuas, & eius Notarij Ioannis Ludouici Gamir, quatenus dicunt non recesisse illos á loco de Piedratajada, nec reuersos fuisse Cæsaraugustam vrbem, ob præsentationem literarum Iudicis Enquestarū, quoniā verba prolata ab eodem Petro Viuas, tempore quo in oppido de Piedratajada fuit illi facta præsentatio literarum Doctoris Dominici Escartin, in pręsentationem obsequij, & reuerentię prædictis literis, offerens se pręsto & paratum obedire dictis mandatis Doctoris Escartin, & breuis recessus à dicto loco, & aduentus in Cæsaraugustā, & effectualis comparitio corā pręfato Iudice Enquestarum, totum contrarium arguunt, & manifestè demonstrant. Vltra quod ex aliquibus testibus infertur pędictos Petrum Viuas, & eius Notarium cessase ab executione ob literarum Doctoris Dominici Escartin intimationem, & pręsentationem eis factam: elluxessit ergo rei veritas impedimenti nempé pręstititi, & cessationis ab executione literarū pręsentis Curię ex ea causa, & damni Alphōso Martinez illati ob eam rationem: Effectus enim pręualent verbis. Nec defensionem prębet legitimam Doctori Dominico Escartin, argumentatio cui innititur, tanquam Carrocio, concessionem videlicet literarum pro inquisitionis officialium prædictorum confectione, fore actionem quandam Iustitiæ, ex necessitate officij pręstandam, hancq; inquisitionem generalem talium officialium, qui vtuntur officio meri executoris, solitā fieri, & assuetam esse. Respondetur namq;

namq; permissam de foro esse inquisitionem generalē officialium, nec id infitiatur. Improbamus tamen modum, concedendo nimirū tales literas citationis fere omniū officialium comprehensiuas, constituto eisdem termino ad comparendum adeo breui; eoque præciso, & peremptorio, ab hora intimationis computando, quibus si obediēdum est, nullam executionem prouisionum literarum huius Curiæ, & Regiæ Audientiæ, debitam, & absolutam prout expedit facere potuerunt. Improbamus similiter modū, animum videlicet, & propositum in concessione literarum prædictarum deprauatum, quando quidem mens, & intentio Doctoris Dominici Escartin eo respexit, vt facta intimatione suarum literarum præfatis meris executoribus impediretur mediantibus dictis suis literis executio dictarum prouisionū, qua in re euidens contraforus latet, extat, & inuoluitur, ergo prædicti Iudicis Enquestarum literæ simulationem continent, attentis considcratis & perpensis ante dictis circūstantijs. Vnde rectissimè in occurrenti specie succedit, illud quod frequenter in ore iurisprudentium ducitur, plus valere quod agitur, quam id quod simulaté concipitur, nam quod actum fuisse deprehenditur á Iudice Enquestarum Doctore Dominico Escartin in effectu est, velle impedire executionem, & cursum literarum præsentis Curiæ Domini Iustitiæ Aragonum, & Regiæ Audientiæ, obtentarum á creditoribus variorum locorum Regni, simulatur tamen illo colore, & superficiè externa, administrationis Iustitiæ, inquisitionis officialium, quæ simulatio licet difficilis probationis sit, verum non obscurè, imò satis perspicuè ex deductis & probatis in processu conijcitur, extantq; eius rei, & reperiuntur vrgentes, & validissimę coniecturæ, & præsumptiones, quæ omnia ad id credendū nos vehementer impellunt. In primis enim manifestè ostenditur ex processu, Doctorem Dominicum Escartin sub die decimo quinto mēsis Ianuarij anni millesimi sexcentesimi decimi sexti, vt Iudicem Enquestarum literas citationis concessisse similiter generales, non solum contra ferè omnes meros executores, sed etiam contra eorum Notarios, in quibus citari præcepit centum & nouem personas, fuerunt autem traditæ prædictæ literæ citationis locis desiderantibus impedimentum exequtionum, nempe de Bolea, Caspe, Almudebar, nimium oppressis ęre alieno, seu eorum Sindicis. Ex qua re detegitur ad impediēdas executiones primarum prouisionum id factum fuisse, quia vt se liberarent ab expensis desaforatis, præsidio iurisfirmæ huius Curiæ se tueri rectè poterant, & ideo ad alium finem scilicet ad impediēdam executionem primarum prouisionum remediū obtinere, & impetrare cupiebant concilia & vicini illorum locorum. Insuper tamē, & si prædicta oppida de Bolea, & Caspe vtebantur prædictis literis ad finem, & effectum impediendi executiones, & ad instantiam fisci nō fuit vnquā reportata citatio aliqua, nec aliquis mer⁹ executor, nec Notarius fuerunt interrogati super illa petitione, quæ omnia ad notitiam dicti Doctoris Dominici Escartin deuenisse verosimile est, vltra quod ex dictis aliquorum testiū colligitur, sciuisse eundem quod in

Villa

Villa de Bolea, tempore quo officiales exequebantur prouissiones Regiæ Audientiæ, vel huius Curiæ, fuerant intimatæ prædictæ suæ litteræ eisdem officialibus ad eum finem, & propositum, vt non exequerentur dictas prouissiones, vel ab executione desisterent. Nihilominus his non obstantibus secundas literas concessit, sub die decimo Februarij anni millesimi sexcẽtesimi decimi octaui, id quod arguit satis liquidò has secundas literas fuisse ab eo concessas directò, & principaliter ad eum finem impediendi executionem primarum prouissionũ, calidè, & studiosè, & quamuis de primis litteris idem censemus, de secũdis tamen vrgentiûs hoc iuditium facimus, quia ex præcedentibus, & subsequentibus efficax argumentũ desumitur, huius intentionis & animi, hæc vero secundæ fuerunt traditæ Villæ de Bolea, & Oppido de Piedratajada. Accedat quod nec in vim harũ secundarũ litterarũ fuit reportata citatio, sed nec aliquis ex meris executoribus fuit interrogatus super contentis in dicta petitione; tum & etiam quod maximoperè vrget, & ex qua circunstantia facile dignoscitur prædictus animus, cum ad notitiam præfati Doctoris Dominici Escartin deuenisset effectus damnosus, & preiuditialis subsequtus causa illarum suarum literarũ, post mẽsem Februarij anni millesimi sexcentesimi decimi octaui, ob timorem meris executoribus illatum, & incursum, & impedimenta executionis prouissionum, & litterarum huius Curiæ, & Regiæ Audientiæ, non adhibuit remedium cum posset. Nam Iudex Enquestarum procedere etiam potest ex officio, imo ex mero officio, non ad instantiam partis per modũ inquisitionis proceditur, pręsertim in inquisitione generali, & ita ex officio debuisset reuocare illas litteras á se concessas, vel saltem declarare cum instrumento animum suum, vt meri executores certi essent, quod nõ obstante pręsentatione litterarum citationis, executioni demandare poterant prouissiones, & quod interim non currebat eis terminus ad comparendum assignatus, & Iudex vbi nouit aliquid fieri, non solum ad impediendas prouissiones Iustitię, sed ad procastrinandũ litem, potest ex officio procedere ad maius scandalum vitandum. Illud etiam mirificè superioribus annectitur, quod nõ sumus certi oblatam fuisse petitionem illam criminalem ad instantiam Procuratoris Fiscalis, de qua loquntur litterę citationis prouisse die decima Februarij anni millesimi sexcentesimi decimi octaui, quippè tempore factæ & executæ manifestationis Honofrio Diñeras Notario Iudicis Enquestarum, prætenso actuario processus nequaquã fuit repertus in eius posse, sed nec in domo Doctoris Dominici Escartin continuatus processus, nec concontinuatum memoriale illud oblationis petitionis, nec petitio illa fuit inuenta in posse dicti Notarij, sed nec in domo pręfati Iudicis Enquestarum, ob quam rationem suprascriptus Honofrius Diñeras non potuit satisfacere dictæ manifestationi, & ideo fuit missus in carcerẽ, donec satisfaceret manifestationi sibi per hanc Curiam factæ, & tamen elapsum fuerat tempus plusquam octo mensium à die decimo Februarij, vsq; diem vicesimum quintum Octobris anni eiusdem, quo fuit executata, & intimata dicto Honofrio

frio Diñeras manifestatio scripturarum & processuum; neque verosimilè est præfatum Honofrium Diñeras prætensum Notarium actuarium illius processus eam habuisse obliuionem, negligentiam, & moram adeo magnam in re graui & non modici ponderis non adhibito debito adimplemento, in his quæ pertinebant ad suum munus & officium Nec tempore factæ sibi manifestationis ostendidit statim bastardellū officiali præsentis Curiæ, sed processus continuatus fuit à quodā Notario vocato Nicolao Cascarossa secretè postquam missus fuerat in carcerem Honofrius Diñeras, & Iudex Enquestarum Doctor Dominicus Escartin missit eodem Nicolao Cascarossa quandam petitionem, vt eam insereret in illo processu ab eo tunc temporis cōtinuato, quam inseruit; quibus sic gestis tradditus fuit processus ille Honofrio Diñeras existenti in carcere, vt satisfaceret manifestationi sibi factæ, & ea ratione satisfecit prædictæ manifestationi Honofrius Diñeras, quia tunc temporis simul cū processu ita continuato traddidit etiam bastardellum, hæc autem omnia quæ occassione manifestationis reperta, & gesta sunt, non leuem generant suspitionem, & producunt inditium vrgens, aduersus Doctorem Dominicū Escartin, & Honofrium Diñeras. Et augetur suspitio, inditiumq; maiores vires recipit, attento & considerato thenore bastardelli, quoniam post scriptum memoriale confectū die tertio mēsis Martij anni millesimi sexcentesimi decimi octaui, reperitur scriptū in eodem folio, memoriale oblationis petitionis prædictæ, sub die decimo mensis Februarij eiusdem anni, id quod non exiguam falsitatis præsumptionem, & coniecturam inducit, & generat. Superioribus annectitur, quod non modicæ considerationis est, vt ex dictis aliquorum testium ellicitur, Doctorem Dominicum Escartin asperè fuisse aloqutum eosdemmet testes, ostendendo illis indignationē, & iram eò quod accesserant dicti testes, qui erant meri executores ad oppidū de Bolea, & executioni demandauerant quasdam prouissiones Regiæ Audientiæ, vel huius Curiæ, Domini Iustitiæ Aragonum, & etiam alios officiales admonuisse, ne accederent ad Villam præfatam de Bolea ad effectum prædictum, exequendi præfatas literas executorias, & Iudicis verba, nedū facta inferre iustum metum & concessionem, signanter cum iurisdictio Iudicis Enquestarum circa punitionem officialium sit adeo magna, quia procedit per inquisitionem, quæ desaforata est. Præterea multæ primæ prouisiones in ingenti numero repertæ fuerunt in eius posse dicti Iudicis, ex quarum seriè & aspectu, & aliàs cōstat nō fuisse executioni tradditas, & demādatas, & sto quod quoad aliquas non caret dubio, quod per compulsam ad eius posse venirent, debuit Doctor Escartin eas recognoscere, & videre, saltem interrogare Notarios, qui in vim compulsæ illas duxerant, an essent executioni tradditę, vt si non executatę erant, restituerentur Notarijs ad finem, vt quam citius fieri posset executio illarum fieret. Deniq; constat aduocatum eundē esse Villę de Bolea, & loci de Piedratajada, ex qua re eorum respectu affectio aliqua prę̄sumi potest. Simulatio ergo cum tam in viam iuris cō-

munis, quam fori, quia difficilis probationis est, probetur ex pręsumptionibus, & coniecturis, profecto in occurrenti casu vrgentissimé probata extitit, tot modis, & adeo magnam verosimilitudinem habentibus, verosimilitudo vero mensura probationum est, & propterea Iudex in deprehendenda veritate, in primis debet attendere, quod verò simile est: Vnde quia dolus ex malo animo, & machinatione quadam prouenit, & ideo ex hac fraudulenta simulatione, ex hocque malo animo, ac deprauata mente, ita aperté deducatur dolus Doctoris Dominici Escartin, meritó puniendus venit, maius enim delictum cõmittitur auferendo officialibus liberam executionem prouisionum emanatarum á supremis Tribunalibus Regię Audientię, & pręsentis Curię Domini Iustitię Aragonum, sub simulato, & ficto colore Iustitię, verbis Iustitię iustitiam damnando, quia qui deliquit sub colore, & figmento Iustitiæ, maiorem pœnam meretur, quam qui apertè delinquit, & istæ fictiones, & simulationes sunt contra verba, & contra mẽtem fororum, & contra intentionẽ Aragonensium, qui substantiam, realitatem, & effectus rerum, non nomina, & superficiales, cauilosasquè interpretationes respexerunt, & ideo potentissimi Domini nostri Reges Aragonum, & eorum officiales iurant in hoc Regno Aragonum seruare foros, vsus, consuetudines, absq; omni machinatione, & fraude. Absoluitur verò quoad alios Dipputatos nominibus suis proprijs acusantes, quia schedula illa, seu papirus, in eius posse, seu domo Doctoris Dominici Escartin inuentariata, licet in illius thenore aliqua reperiãtur quæ omitti debuissent, & forsam iniuriam irrogant, verum cum non appareat Doctorẽ Dominicum Escartin illam schedulam, siue papirum aliquibus persónis ostẽdisse, sed eam ocultam pœnes se habuisse excusandum fore censemus, ex prædictis, & aliàs attentis contentis.

Sig † num mei Antonij de Soria in ciuitate Cæsaraugustæ domiciliati, auctoritateq; Regia per totum Regnum Aragonum publici Notarij, ac Regentis principalis vnius ex scribanijs Curiæ Domini Iustitiæ Aragonum, & eius Consilij Secretarij, qui huiusmodi vota & motiua à originali libro dicti Consilij de anno millesimo sexcentesimo decimo nono, in quo continuata existunt, manu aliena extraxi, & cum suis originalibus benè & fideliter comprobaui, in quorum fidem, & testimonium præmissorum, meo solito quo artis Notarij vtor signo signaui.

Ad gloriam Omnipotentis Dei, fuit absolutus Dominicus Descartin Iudex Enquestarum, die tricesima prima & vltima mensis Augusti, anni 1619. nulla oblata defensione in processu, sed facta in eo expressa renuntiatione temporis à foro concessi ad se defendendum.